



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XLVIII. Pium monacum, à quo summa ueneratione, & mirifica animi attentione obsecrari solita erat, Virgo osculatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

xit ipsa, se hominis illius conseruādi ualde cupidam esse. Respondit Christus; nihil sibi potius esse, quam ut carissimae matri rem gratam faceret. Ut autē ille ipsius Virginis precib. condonaretur; animam ad corpus redire iussit; uti, cum monachum peccatorum suorum prius poenituisset, tandem uitae sempiternae felicitate perfrueretur. De ea re ab ipsa lucidissima coeli stella, Petrus certior factus, immēsa clauis, quam gestare solet, cacodaemones tundens, illos expulit; uindicatāq. ab illorum potestate animam illam Angelis commisit. E morte suscitatus monachus haec omnia, uti euenierant, omnib. palam aperuit.

MIRAC. VIRG. XLIII.

Pium monachum, à quo summa ueneratione, & mirifica animi attentione obsecrari solita erat, Virgo osculatur.

IN Hispania priuati, & litterarū imperiti monachi, quib. nulla sacerdotij dignitas delata erat, ad eospectata uita, & sanctis morib. excelebant; ut illi, qui sacerdotes erant, in ipsis tanquam in speculo se contemplarentur. Horum unus animi erga Virginem ita studiosi erat; ut, dum in templis hymnos caneret, non modò in singulis uerbis, sed etiam in syllabis, & elementis quibusq. insistens alta mēte repeteret Virginis memoriam. In sanctissima, & laudib. digna consuetudine totum decennium perrexit sanctus uir, ab honesto instituto ne transuersum quidem digitum unquam recedens. Tandem ille morbo laborare incepit; ad quem praefectus monachum misit, qui in ijs, quae

quae ad morbum expellendum pertinent, nequaquam
 deesset. Quia uero ille sciebat, hunc coenobitā ma-
 ximā sanctitate excellere, ut se aliquid edoceret, quod
 ad melius uitam instituendam iuuaret, ualde obte-
 stabatur. Dixit pius uir, proximè praeterito die se
 plurima salute à summi regis sponsa impertitū fuisse;
 quae futurum praedixit, ut septimo die post hinc ad
 coelum demigraret, testatus est praeterea, se ab ea-
 dem antè collo sanctissimis brachijs amplexū, oscu-
 lum tulisse. praestituto die, qui ab eo septimus erat,
 ex humanis opus erat excedere. Dum in extremis la-
 boraret, praefectus, qui dormiebat, uisus est candi-
 datorum maximā lucem uidere, qui se aduenisse di-
 cebant, ut aegroti animam ad coelum comitarentur.
 ostium cubilis ex templo crepere & pultari uisum est.
 Itaq. confurgens, nemine reperto, pro certo habuit,
 illuc coelestis descendisse, ut Virginis clientem se-
 cum deducerent.

MIRAC. VIRG. XLV.

*Dum in extremis laborant mortales, quomodo ab eis Vir-
 ginis auxilium sit implorandum.*

Viginti annos Deo monachus inserviuerat, qui
 in extremo uitae periculo, constitutus ma-
 ximam caecodaemonum turbā, ut animam
 eriperent, ad se uenientem uidit. Quare flebili uoce
 conqueri ita incepit: Vae mihi, qui unquam huic re-
 ligioni nomen dederim, melius mihi cōsultum esset,
 si nunquam à parentib. fuisset procreatus. Accurre-
 runt